

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis  
conceptibus moralibus illustratum**

**Venegas, Luis**

**Friburgi Brisgoiae, 1624**

Moralis discursus eius dem festiuitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)

illis commutatio, & non timuerunt Deum. Peccatores tamen tantum beneficium animi ingratitude rependunt, imò singulis diebus suum benefactorem offendunt. Hodie sua scelera fatentur, sequenti verò die in eadem & grauiora prolabantur, vt alter Saul, qui sæpiùs cum Dauide amicitiam contraxit, postea verò in illum vehemètiùs insurrexit. Timenda tamen est vindicta diuina, forsitan eisdem suppliciiis, quibus Saul, in alio sæculo punientur. *Humiliauit illos, qui est ante secula.* Idèd beneficiis diuinis, quæ singulis momentis experimur, gratitudine animi, sanctè & piè viuendo occurramus, vt in hac vita gratiâ & familiaritate diuinâ participes effecti, gloriâ etiam in alia nunquam interitura vita perfruemur, quam mihi & vobis præstare dignetur IESUS CHRISTUS, Amen.



M O R A L I S  
Discursus eiusdem  
festiuitatis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Maria, secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt steterent eum Domino, sicut scriptum

est in lege Domini. Luc. 2. cap. Hodierne purificationis exemplo, charissimi filii, inanis huius sæculi gloria, honor, pompa, vani atque falsi tituli funditùs euertuntur. Diuersâ planè viâ atquè nos Maria sanctissima, & eius Filius sacratissimus incedunt, & diuersum modum agendi seruant. Nos enim cùm peccatores esse velimus, nolumus tamen inter peccatores annumerari, nec tales apparere, dulcissimus Iesus & eius sanctissima mater peccatores quidem esse nolunt, volunt tamen inter peccatores computari, neq; vt tales comparere dedignantur. Dulcissimus enim Iesus post octo dies legibus circumcisionis, quæ signum erat peccatorum, se subiecit; & Beatissima Maria leges purificationis, quæ pro immundis late erant, fidelissimè impleuit, cùm aliàs sine corruptione ac immunditia omni peperisset, in puritate solem, & vniuersas firmamenti stellas longè antecellens. In puritate ergò & vitæ nitore talem matrem & Filium imitemini: & pudeat vos, quòd tam sordidi & abominabiles peccatores sitis, saltim ita peccata effugiatis, sicut ipsam peccatorum effigiem detestamini: maiori odio peccatum, quàm infernum prosequi tenemur, cùm omnia inferni tormenta in malitia & grauitate excedat, & potius mors acerbissima, quàm offensa contra Deum, qui est infinitum & immensum bonum, eligenda & amplecten-

plectenda est: in modo etiam agendi cum Deo, Mariæ sanctissimi. Dei Matris & omnium Angelorum Regina vestigia ac mores sectemur; hodiè enim, licet tenuem oblationem pro infantis redemptione Sacerdoti præsentet, duos nempè turtures, aut pullos columbarum, eam tamè oblationem, non nudam, sed cum infantulo divino simul obtulit, vt sic in valore & æstimatione in infinitum excresceret Sic peccatores nõ nudas orationes, ieiunia, eleemosynas, & huius vitæ molestias Deo offerre debêt, quia ex se parùm valent, nisi cum nostri Saluatoris operibus conjungantur, ex quibus valore accipiūt, vt digna oblatio & sacrificium Patri Aeterno imoletur. Esau primogenitus filius Isaac tanto odio prosequabatur suum fratrem Iacob, quia primò benedictionem acceperat, & jus primogeniture illi præripuerat, quod apud se firmiter decreuerit eum interficere, quo sine omnibus modis suum minorem fratrem insequutus est, vt injuriã sibi illatam vindicaret. Cùm ergò Iacob intentionem & animũ sui fratris agnouisset, viã & modũ excogitauit, quo amicitia sui fratris conciliaret; munera enim, quæ pectora quãtumuis rigëtia, emollire solent, sapius per suos famulos trãsmisit: jam ducentas capras, modò quadraginta vaccas, aliã occasione viginti camelos, tandem multa alia munera magni pretii & æstima-

tionis trãsmisit, quæ omnia despexit Esau, nec illius animum ataxerunt, vt suum fratrem ad suã familiaritatem admitteret: neq; Lia omnib. suis filiis stipata, etiam ad pedes illi⁹ se prouoluerit, sufficiens fuit, vt Esau suum minorem fratrem in suam gratiam reciperet: At postquam pulcherrimam Rachelem suis brachiis Iosephum deferentem, atq; ad illius pedes prostratã conspexit, ita Rachele oblatio sibi pla. uit, vt fratri suo in signum reconciliationis & amicitie obuiam occurrerit, & effusis lachrymis eum fuerit osculatus, vt Sacra Scriptura refert. *Currens Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum: stringensquè collum eius, & osculans flevit &c. Genesis capite 33.* Summo enim gaudio & lætitiã cordis sui ei occurrens, strictissimis amplexibus internum amorem & familiaritatem firmavit, & continuã lachrymarum effusione, fraterno ac sincero amore amplexatus est eum. Ad nostrum igitur propositum, accedens tanto odio Deus noster hominem propter violationem præcepti psequutus est, ita contra nostrum primum parentem iratus & concitatus fuit, vt eum in aternã damnationem destinaverit. *Et armabit creaturam ad ultionem. Sap. capite. 5.* Vt ex illo iustam vindictam sumeret, perpetuò vexaret, & ab aterna beatitudine, ad quam creatus fuit, deturbaret ac deiceret: Tanta fuit illius miseria, & omnium

et omnium, quæ ab illo deriuati sunt, infelicitas, vt nullus pro injuria contra Deum commissa, ad æqualitatem, & ex toto rigore iustitiæ satisfacere potuerit. Sacrificia quidem obtulit Abel, quæ Deo gratissima fuerunt, holocausta coram Deo præsentauit Abraham, varia sacrificia immolauit etiam Melchisedech: Noe etiam sacrificia obtulit, non tamen ita Deo accepta erant, nec tanti pretii & æstimationis, vt illatam iniuriam ad æqualitatem compensarent, nec ita Deo placuerunt, vt dicere possimus, quod *Occurrit Dominus obviam fratri suo, & amplexatus est eum.* Hac tamen purificationis die omnes mortales exultent, & quamcunque tristitiam & mærorem expellant; *Quia, postquam consumati sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.* Tale ac tam sublime munus Patri Æterno ex parte hominum oblatum est, ita illi acceptum, ac tanti valoris ad offensam ex toto rigore iustitiæ compensandam, vt ipse apertè dicat. *In loco isto dabo pacem, & inimicitia & lites antiquæ perpetuè dirimentur.* Ita Deo placuit pulcherrima Rachel, Maria inquam sanctissima, deferens suis brachiis dulcissimum Iesum, & aded illius viscera commota fuerunt, quod *occurrens fratri suo, amplexatus est eum.* Licet enim variæ muneræ ei oblata

fuisent, Lia etiam suis filiis stipata, quæ legem veterem cum omnibus suis sacrificiis & holocaustis repræsentabat, ista tamen illius animum nondum omninò pacatum ac tranquillum reddiderant: Postquam vero Maria sanctissima, tanquam altera Rachel coram Patre Diuino suum filium, & Redemptorem & Salvatorem nostrum præsentauit, ira & concitatus contra peccatores furor compressus fuit. *Quamprimùm hæc felicissima Abigail, Beatissima Maria coram Patre Æterno in genua procubuit, sic dicens. Suscipe benedictionem, quam attuli tibi. Genesis. capite 33.* Id est, Omnipotens & æterne Pater, omni honore venerande, oblationem hodiernam, quam ancilla tua offert, grato animo & voluntate accepta, justissimum contra filios Adæ furorem compescas; licet enim maximo supplicio digni sint, potiùs tamen ex stultitia & ignorantia, quàm ex malitia peccarunt. *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo. 1. Regum capite 25.* Nè ad hominem & merita illius oculos conuertas, nequè irâ & furorè in illum exequaris, jam fragilitatem & stultitiam hominis agnoscis. *Et stultitia est cum eo. Quapropter suscipe benedictionem hanc. 1. Reg. 25.* Id est, oblationem & munus

munus quod hodiernâ die offero, erit sine dubio tuâ Diuinâ Maiestati gratissimū, ex parte mea id & totius humani generis præsentō, certissimè scio ita hoc munus placiturum, vt existimem omnem furorem, iram & tristitiam, in gaudium & iucunditatem conuertendam. *Suscipe, suscipe benedictionem hanc.* Quis in toto vniuerso tam durus & obstinatus esset, etiam si grauissimas iniurias passus fuisset, qui, si à tam pulcherrima regina, stella ac luce splendidissima rogaretur, vt illatis iniuriis parceret, non statim annueret, tristitiam, & omnem animi molestiam depelleret ac longius fugaret? præcipue si munus aliquod infiniti valoris offerret, quicumque nostro iudicio, etiam si intensissimo odio conflagraret, iniuriam dimitteret. Si ergo hoc in creaturis contingit, multò magis de Deo existimandum est, cum illius misericordia infinita sit. Absque dubio tanto munere & oblatione per manus sanctissimæ Virginis oblato placatus fuit, & in loco nostro dedit pacem, & iustitiæ sceptrum deprimens, occurrens amplexatus est peccatorem, & illius collum in signum amicitiae & fœderis sempiterni constrinxit; pulcherrimæ etiam Racheli in occursum venit, & illius infinitam oblatione acceptans & amplectens, sic eam affatus est. *Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè ne irem ad sanguinem & c. 1. Reg. 25. Dilecta sponsa &*

columba mea benedictionem meam accipe, omnem enim iram & furorem meum contra filios Adæ, quos propter culpam ad mortem æternam destinaueram, mitigasti, nullus impunitus abiret, si tale munus non obtulisses. *Andiui vocē tuā & honorificavi faciem tuā. 1. Reg. 25* fiat id quod postulas. Petis vt iusta contra homines indignatio cesset, ego eos ad pristinam amicitiam reuoco, peccata etiā, quæ inter me & inter illos diuisionem fecerant, & antiquam familiaritatem dissoluerant, lubeti animo condono: justum enim est & rationi consonū, vt tali mediatrici, quæ tam efficacib. mediis pro hominibus intercedit, nihil denegetur. Quid nõ pro meo filio præstabo, quem hodiè ad conciliandam pro hominibus gratiam, mihi præsentas? Tandè sacratissima Virgo dulcissimum Iesum in brachia sancti Simeonis deposuit, & duos pullos columbarum iuxta statutum legis, pro suo filio sacerdoti obtulit. *Et accepit eum Simeon in vlnas suas, & benedixit Deum. Luca 2.* Vix verbis exprimi, aut mente concipi potest, quo gaudio, & lætitiâ spiritali perfusus fuerit iustus & timoratus Simeon, cum dulcissimum infantem in vlnas suas accepit; in extasi planè præ admiratione & mentis eleuatione raptus fuit, in suis brachiis Redemptorem Israël in infantili forma conspiciens: Et absque dubio cum dulcissimum Iesum ex manibus Beatiss. Virginis accepta-

acceptaret, dulcissimis verbis sic eam alloquutus est. Comple desiderium meum. *ô* inter benedictas benedicta, & præbe mihi infantem pulcherrimum, & totius vniuersi Redemptorem, vt Saluatorem Israël intentis luminibus intuear; quia ex Spiritus Sancti infallibili reuelatione ac promissione certus sum, me non visurum mortem, nisi prius videam Christum Domini. *O* supremum & infinitum bonum meum dulcissime Iesu! *Nunc latus moriar, quia vidi faciem tuam. Genesis cap. 46.* Ad hæc usque tempora nimio dolore & tristitiâ confectus, molestissimam vitam duxi, modò verò, cùm desideratum cunctis gentibus contempserim, ac propriis manibus tenui, felicissimè discedā. *Non dimittā te, nisi benedixeris mihi. Gen 32.* Et immensis tuis diuitiis meus animus ditatus fuerit, immensas gratias protantis ac tam supremis beneficiis vniuerso hominum generi collatis refero: Letus iam moriar, quia meum desiderium, & beneficia mihi promissa collata sunt, nihil ampliùs in hoc sæculo expectare vellem. *Dimittite me, iam enim ascendit aurora. Genes. 32. cap.* Non diu huius vitæ tenebrę durabunt, Sol enim iustitiæ toti vniuerso manifestatus est. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Sanctus & iustus senex Simeon animaduertens, imò & cognoscens dulcissimum Iesum,

quem manibus tenebat, vitæ ac mortis authorem esse, non ampliùs mortem timet; Antequam vitæ authorem & victorem mortis vidisset, mortem timebat, nec ex hac vita migrare desiderabat, postquam verò Christum, qui est vita æterna, propriis oculis conspexit, omnem timorem excutiens, ardentissimo desiderio mortem appetebat. *Nunc dimittis seruum tuum Domine. Qui longam nauigationem conficere decreuit, non tamen sua negotia expediuit, nec necessaria sibi comparauit, semper sibi persuadet, naues ex portu solui ac vela ventis dari ad nauigationem conficiendam, idè cùm recordatur se imparatū discessurum, maximo dolore & tristitiâ afficitur: Qui verò sua expediunt, & necessaria sibi præpararunt, discessum auidissimè expectant, & celerem naucleri diligentiā, vt tarditatem concipiunt. Omnes ex portu huius mortalitatis vitæ ad aliam æternam necessariò discessuri sumus, longa sanè & periculosa nauigatio, qui suæ conscientiæ & animæ negotia neglexerunt, & in peccatis persistunt, nec debita solverunt, aut iniurias condonarunt, nec de negotiis ad propriam salutem summè necessariis tractarunt, in perpetuo timore ac tremore vitam agunt, existimantes singulis momentis ex portu naues esse solvendas, & cùm se imparatos omnino considerent ac aspiciant, disces-*

ff

sum

sum tremebundi expectant: iusti vero, quia semper parati sunt, & suæ vitæ modum piè ac sanctè ordinârunt, ita mortem despiciunt, vt singulis momentis eam expectent, ac dicant. *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Quis ita mortem memoria tenuit atque sanctus Hieronymus, & quis magis eam despexit? In illius imaginem oculos conuertamus, illumquè in horrido deserto situm, perfulum lachrymis, acriter duro lapide suum pectus percutientem, effigie mortis ac vivâ illius representatione recreatum intuebimur, in tam dura enim ac aspera pœnitentia, quâ vix pellis ossibus hærebat, memoriâ mortis delectatus, eam despiciebat. Sancti mortis recordatione delectantur, & libenter p̄ Christo, qui pro illis mortuus est, vitam cum morte commutât, nolunt ex timore mortis verâ vitam amittere, imò perpetuò crebris suspitiis ex imo pectore deductis, ad illam

verbis iusti Simeonis aspirant. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Sanctus Basiliius hæc verba explicans, inquit. Quòd si iustorum voces attentè auscultemus, iusti semper gemunt, quia in hac vita detinentur: Cùm enim duplex vita, alia in hoc sæculo, & alia in futuro destinata sit, vnio verò ac nexus huius vitæ cum futura sit mors, quâ mediante æternam vitam assequuntur, ideo mortem avidissimè expectant, vt illam vitam sine fine duraturam adipisci possint, in qua sine morte viuunt, sine tenebris splendidissimè lucent, sine vlla vnquam tristitia lætantur, tandem vbi summum beatorum bonum, suprema lætitia & gaudium cum imensa suæ magnitudinis & maiestatis gloria inuenitur, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus.

Amen.

\* \*



DE AS-